

## PICTAVIVM *Vociere*



**P**ICTAVIVM partim in agris Armorice olim dictis qui sunt in Celtis; partim in Aquitania situm est; diuiditurq; in superiorem & inferiorem: superiorem vocant, quæ Orientem respicit ad Turones vsque & Biturges; Inferiorem, quæ versus occasum in Oceanum Aquitanicum vergit. A meridie contingit Santones, Angolesmenses & Lemouices; Britanni & Andegauenses sunt illi à Septentrione proximi. Incolas Ptolomæus & Plinius Pictones appellant, Cæsar & Strabo Pictones, per i in prima syllaba, Ammianus Marcellinus Pictauos nominat. Quidam à Pictis ipsorum etymologiam deriuant, sed fabulosum putatur, Pictorum enim quam Pictorum nomen vetustius esse ex Classicis scriptoribus liquet. Locum vbi Pictaviu vrbs erecta si perscrutatus fueris, vix vllum in Aquitania reperies vel amœniorem vel commodiorem, vbi tot magnificis ædificiorum structuris veneranda, prudentissimorum incorrupto Senatorum ordine conspicienda, florentissimo simul ac honestissimo rerum publicarum ac priuatarum statu nobilitate resplendet, vti etiam Ecclesia metropolitana, D. Petri, Castellum, Palatium cū vetustioribus aliquot monumentis, Vnde facile colligi poterit, nouum Pictaviu tempore Romanorum restauratum fuisse, non autem post, cū Dagoberto, vt fama est, demolitum esset ob odium aliquot in Gubernatorem Aquitaniæ (suum in Adolescentia Præceptorem) conceptum, Veteris Pictauij mentionem facit Adon Aquitaniæ Archiepiscopus in Chronicis suis, pag. 6. his verbis, Hugenothi templa Pictauij deuastarūt. Riuulus etiam quidam & murmure blandiore delectat, & aspectu pulchriore totum locum exornat, Principalis porrò Curia sedes illic est, regiturq; manu Præsidis & duorum Vicariorum quorum vnus in Ciuilibus, alter in Criminalibus causis cognoscit, Proprium habet Inquisitorem, duodecim Consiliarios & Custodem priuilegiorum antiquissimæ suæ vniuersitatis, cuius nomine ac flore per totam Europam celebris fertur. Ad quam Curiam omnes alij Iuridicatus ac tribunalia pertinent, Priuilegiorum quoq; eiusdem loci tutelam suscipit. Academia autem hæc toto orbe celebris anno Christi 1431. fundata est, regnante in Francia Carolo 7. confirmata etiam & priuilegiata varijs Pontificum Bullis, Neq; olim vniuersitas vsquam proferri potuisset, vbi tanto labore ac solertia genus omne studiorum traderetur, vbi purissima maiorē cum fructu Theologia doceretur, vbi facultas Medica, vbi Iurisprudentia feruentiore cultu tractarentur, & sic omnia, vt nihil in linguarum nobilissimarum cognitione, artibusq; & optimis disciplinis desiderari potuerit. Missam facio frequentissimi quo nullum liberalius erectum gymnasij disciplinam. Prætermitto tot saluberrima veræ pietatis studia quæ cum alibi aut omninò squalida iaceant, aut penitus nulla sint ibi non solum feruenter excoluntur, sed etiam adamata in pretio habentur maximo præsertim cum sanis doctrinis colluceant omnia, nec vlla penitus nequitiarū illectamenta subrepant; sed vbiq; probissima societas & consortia sancta, quæ ipsa indissolubile Catholicæ religionis vinculum solidis adeo atque adamantinis constrinxit nexibus nullo vt modo conuelli violariq; queant.

Medio circiter milliari Pictauio in itinere quod Auaricum Biturigum ducit, in via regia, admodum ingens saxum, forma quadratum, quinque lapidibus fulcitum spectatur, in quatuordecim circiter pedum latitudinem assurgens. Plerique viatores solent illi memorie causam omen insculpere. De hoc lapide multi multa suspicantur, quæ quoniam solis coniecturis nituntur esse certa dici non potest, in primis, quomodo, quare ex causa & à quibus illuc aliundè translatus fuerit. Multi tamen verum esse putant aquarum eluuiouibus terra detectum emeruisse, & raritatis causa ab incolis sursum erectum, de quo hi versus extant, Hyperbolici.

**Hic lapis ingentem superat grauitate Colossum  
Ponderis, & grandi sidera mole petit.**